



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 30. in immodicè lætos, & in inordinatè triftes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)





# PHILIPPICA XXX.

In immodicè lætos, & in inordinatè tristes.

DOMINICA III. POST PASCHA.

*Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Ioannis 16. v. 20.*

§. I.  
Et risus &  
fletus con-  
venit ho-  
mini, non  
tamen im-  
modicus.



Apientissimè defini-  
vit Salomon tempus  
esse flendi & tempus  
ridendi, utrumque  
competere homini  
& risum & fletum,  
neutrum tamen immodicum; si e-  
nim risus sit immodicus, stultitiæ  
est index; si immodicus fletus in-  
faniam accersit, & innumera cor-  
pori animòq; mala progignit. Post-  
quam verus Salomon Iesus beatos  
pronuntiasset, qui lugent, mox sub-  
didit: *consolabuntur*, quasi diceret,  
non carebit ille facer luctus interno  
gaudio ex Sancti Spiritus unctione  
promanaturus, imò expressis verbis  
adjecit: *cum persecuti vos fuerint,*  
*gaudete & exultate.* ex ipso mœro-  
re haurite gaudium, in tempestate  
cogitate serenum, risum lachrymis  
miscete ob spem retributionis &  
copiosam in cœlis mercedem. Nun-  
quam ergò cor nostrum luctui sic  
dandum est, ut nullum lætitiæ lo-  
cum reservemus, nec unquam ita  
indulgendum lætitiæ, ut penitus  
obliviscamur sacri luctus & Evan-  
gelicæ sententiæ: *plorabitis & flebi-  
tis vos.* væ qui ridetis immodicè,  
quia flebitis irremediabiles lachry-  
mas! væ qui exultatis in rebus pes-  
simis, quoniam diuturnus vos mœ-  
ror expectat! væ qui gaudetis cum  
mundo, quia exultare non poterit-  
is cum Christo! sunt multi, qui om-  
nem ponunt in eo beatitudinem,  
si ridere, jubilarè, tripudiarè & in-  
longa tempora protrahere sua pos-

sint gaudia, contra quos hodie a-  
gendum est; quanquam nec eorum  
obliviscar, qui vano & stulto se con-  
sumunt mœrore, atque ante mor-  
tem sibi infernum consciscunt mi-  
serabiliores omnibus hominibus.  
De utrisque si modica cum patien-  
tia audiar, pariet hæc ipsa patien-  
tia syncerum gaudium & consola-  
tionem.

Inter syncerum & falsum gau-  
dium eadem est diversitas, quæ in-  
ter faciem ex natura formosam &  
inter fucam illitam, vel quæ inter  
risum ex titillatione coactum & in-  
ter cordialem risum ex ridiculi ob-  
jecti apprehensione ortum, vel quæ  
inter vinum nativâ dulcedine præ-  
ditum, & inter conditum interce-  
dit. falsum gaudium nascitur ab ex-  
terioribus sensibus, syncerum ex  
corde seu bona conscientia & bo-  
næ conscientie inhabitatore Deo,  
si fucam mulierem afflat aura, si  
lavet unda, si sulphuris fumus affi-  
ciat, perit omnis decor, & rugosa  
cū majori dedecore cutis apparet.  
sic pereunt gaudia mundi, cum pri-  
mum versum folium, mutata au-  
ra, variata scena fuerit; viderent u-  
tinam filij hujus sæculi, qualis gla-  
dius illorum cervicibus impende-  
at, qualem à tergo habeant stipa-  
torem, qualis infra nos abyssus & a-  
perto ore inhiet draco, evanesceret  
certè gaudium, & salutaris succede-  
ret mœror. talpæ sumus & idola, au-  
res habemus & non audimus, oculo-  
s & non videmus, vel aures ad vi-  
den-

§. 2.  
Inter læti-  
tiam ve-  
ram & fu-  
catam di-  
versitas.



dendum, oculos ad audiendum adhibemus; ea enim quæ videnda sunt audire, quæ audienda videre peruersis sensibus optamus, cum mysteria fidei intueri, nec nisi visa credere volumus, quæ verò videmus funera & calamitates huius sæculi, quasi fabula narraretur, surdā aure pertransimus, ridemus, saltitamus cum puerulo Francisco Regis: *Mater mea ero unus ex damnatis.* at dixit ista puer, quæ cum repeti à matre sibi vir audisset, deliquitum passus indoluit. Nec Lazarus, nec adolescens Naimitanus, nec archifynagogi filia, nec ullus alius ab inferis ex vita altera redux unquam amplius legitur risisse; cachinnamur nos, quia de futuro sæculo nihil somniamus. *unde tibi letitia? nunquid iam diabolum vicisti? nunquid jam inferni penas evasisti? nunquid jam de exilio in patriam venisti?* S. Augustinus lib. de conflict. vitior. c. 21. non est bene avi paradisiacæ in cavea, nō est bene pisci extra aquam, brachio extra iuncturam, captivo extra patriam, & quomodo nobis bene potest esse in valle lachrymarum? non est bene Damocli sub gladio ex equina feta pendenti; non est bene populo Israëlis Babylone seruienti: *quomodo cantabimus canticum Domini.* non est bene Tobie lumen cœli non videnti; non est bene Jobo iudicijs Dei velut fluctibus obruto: *semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* non est bene Jonæ in medio ceti; non est bene Davidi in deserto Ziph & montibus Engaddi, & quomodo peccatori in hoc deserto bene esse potest? *unde tibi letitia? nunquid jam diabolum vicisti? nunquid jam inferni penas evasisti? nunquid jam de exilio in patriam venisti?* falsus est ille sarcasmus & ironia vehemens Salomonis: *letare juvenis in adolescentia tua, & scito, quod pro omnibus*

*his adducet te Deus in iudicium* Eccl. II. v. 9. juvenem appellat, non virum, quia immaturæ prudentiæ & certæ dementiæ nota est immodico indulgere risui & lætitijs. hoc est, quod Isaias insinuat: *puer centum annorum morietur.* c. 65. v. 20. expende parvulorum mores & videbis ad unguem ijs congruere, qui gaudium suum in transitorijs reponunt. moriatur parvulo pater, moriatur mater, dummodo is pomulum suum & crepundia non amittat, ridet & tripudiat; irruat hostis, spoliatur domus, oriatur incendium, dum pomulo suo frui possit parvulus, ridet & rerum bonarum est. quid si stringatur gladius, apponatur sclopus? pro ludo habet omnia, quamdiu sine pomulo non est; at hoc ablato lamenta & lacrimæ, & inconsolabiles luctus! talibus pueris mundus est plenus, & dolendum quod multi sexagenarij, septuagenarij, octogenarij, nonagenarij, centum annorum pueri permaneant pomis suis & crepundijs addicti, in quibus solum gaudent & exultant. quid sunt illecebræ carnis nisi poma, quæ facile putent & verminant? quid est favor principum? poma Gomorrhæa. quid sunt honores & dominatus? poma sylvestria. quid divitiæ? poma Tantalii fugacia. quid tota mundi vanitas? verbo, crepundia, his delectatur filij huius sæculi, parvuli Babylonis, non tantum bis pueri, sed bis stulti, quod nec isti sapiant, nec respiscere à stultitia sua, cum possint, velint.

Audio tres Reges, sapientissimum alterum, patientissimum secundum, tertium sanctissimum contra immodica & insipida mundi gaudia invehi, duplicatisque sententijs ab hac stultitia eos dehortari. Salomon in primis c. 2. Eccl. risum inquit, *reputavi errorem.* qualis error?

S. 3.  
Tres regie sententiæ contra immodicam lætitiā.

psalm. 136.  
v. 4.

Job. 41. v.  
21.



ror? grammaticus, quia conjugamus, quod foret declinandum; error poëticus, quia producimus, quod foret corripendum; error rhetoricus, quia perſuademus quod foret diſſuadendum. *riſum reputavi errorem & gaudio dixi, quare fruſtra deciperis?* ſeverius proverb. 14. *riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luſtus occupat.* quò major gaudium, eò major luſtus, ſicut quo major riſus, eò lachrymæ plures oculis excidunt. nullum corpus ſinè umbra, lucius ſinè ſpina, roſetum ſinè aculeo, lilium ſinè malleo, ita nullum ſinè mœrore gaudium. Job patientiſſimus c. 20. unius puncti gaudium hujus mundi appellat: *hoc ſcio à principio gaudium hypocrite ad inſtar puncti & c. 21. tenent tympanum & citbaram, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna descendunt.* Sicut Herodias faltans in glacie, ſicut Jezabel dejecta de fenestra 4. Reg. 9. v. 33. aut Athalia, de qua 4. Reg. 11. v. 16. *impegerunt eam per viam introitus equorum juxta palatium & interfecta eſt.* Denique David gaudium impij depingit in pulvere, deſcribit in circulo, exprimit in tranſitu: *non ſic impij non ſic, ſed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* ps. 1. v. 4. *impij inciruitu ambulant* ps. 11. v. 9. *vidi impium ſuper exaltatum tranſivi,* *Ecce non erat* ps. 36. v. 35. ſic tranſit gloria, ſic pereunt gaudia mundi. Quod tres Reges dixere, tres alij reges experti damno ſuo irreparabili fuere. Antiochus 1. Machab. 6. v. 11. *in quantam tribulationem deveni & in quos fluſtus triſtitie!* *qui jucundus eram & dilectus in poteſtate mea,* *Ecce pereo triſtitia magna in terra aliena.* curſe pronuntiat triſtem? unicum malum nuncium de victoria perdita, mœrorem & mortem intulit Antiocho, Balthaſar in convivio plenus lætitijs, turbatur tribus verbulis,

ut compages renum ſolvantur Daniel. 5. v. 6. Achabi Regis gaudium unicâ Vatis voce evanuit. 3. Reg. 20. v. 42. *quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* Sic tres alij Regum miniſtri Aman, Holofernes, Achitophel, cum maximè florere ſe credebant, deſloruere & infami mortis genere æternos ſubiere luſtus. Rideant ergò plenis ſplenibus inſatuati homines ad certum dementiæ ſuæ argumentum & ſecuturi prognosticon mœroris; nos è contra ſultorum riſus ridebimus, ipſiusque Numinis provocati exemplo, de quo dixit Chryſoſtomus: *ſlentem Chriſtum frequenter inveniens, nunquam verò ridentem,* ipſius inquam Nimis incarnati exemplo flebimus potiùs, quàm ridebimus, ut in interitu impiorum cachinnemur & ſubſanemus, cum improvifa eos calamitas obruerit.

Ab immodicè lætis ad immodicè mœſtos tranſeamus, ſtultitiam eorum pariter caſtigaturi. Si ex duobus malis minus eligendum eſt, præſtat riſu quàm gemitu, gaudio quàm mœrore, excedere, plurium enim malorum mater eſt mœſtitia, quàm evanida lætitia. Siraciden audiamus graviffimis verbis à melancholia tanquàm præfica mortis univerſos dehortantem: *à triſtitia feſtinat mors & cooperit virtutem, & triſtitia cordis fleſcit cervicem* c. 38. v. 19. ubi tria inſinuat mala, abbreviationè vitæ, exinationè virtutis, hominis in beſtiam tranſmutationem. feſtinat mors quia vita conſiſtit in calido & humido, triſtitia autem eſt frigida & ſicca, adeoque vitæ è diametro contraria, Scholæ Salernitanæ pro longævitate conſilium eſt: *Si tibi defuerint Medici, Medici tibi fiant.*

*Hæc tria: Mens hilaris, requies, moderata diæta.*

hæc

S. Chryſoſtomus hom. 6. in Matth.

Pars ſecondæ.

S. 4. Damna triſtitie ex Eccleſiaſtic. 38. v. 19.



hæc tria non habet melancholicus, ideóque immedicabiliter ad mortem festinat. Deinde tristitia virtutem operit, quia in melancholico non est ulla genuina virtus, non fides viva, non spes florida, non charitas ardens, quæ sicut timorem, ita & mœrorem dispellit. Addit proinde Siracides v. 20. *in abductione permanet tristitia.* abducit enim, ut Lyranus explicat, à bono in malum, abducit à conversatione hominum, inquit Palacius, facitque energumenis similes, qui in sepulchris habitant; abducit, juxta Rabani & Jansenij interpretationem, à consolatione & consideratione rerum cœlestium, unde dolor mitigari possit, abducit in captivitatem, inopiam, calumniam, carcerem, exilium. Denique flectit cervicem, hoc est, pecudi hominem reddit similem, ut velut bos in fronte iactus terram respiciat, cui os sublime datum cœlumquetueri.

S. S.  
Memora-  
biles sen-  
tentia S.  
Chryso-  
stomi & S.  
Hermæ.  
cōtra mc-  
lancholi-  
am.

Severa est illa Chrysofomi in-  
tristitiam animadversio lib. de provi-  
d. *omni diabolicâ operatione perni-  
ciosior est immodica mœroris ac ace-  
diæ magnitudo, nam quos demon su-  
perat, per mœrorem superat. quod si  
mœrorem sustuleris, nihil omninò ma-  
li & incommodi tibi ab eo continget.*  
dictum certè mirabile & audax, nisi  
oratoris aurei foret. ergóne qui  
inordinata caret tristitiâ nullas à dæ-  
mone timere habet insidias, nulla  
pericula, detrimenta nulla? ergóne  
quisquis à dæmone vincitur, per-  
solam melancholiâ vincitur, ita est  
respondet Chrysofomus. exempla  
habes indubitata in Caino, cui è vul-  
tu concidenti Deus ruinam prædi-  
xit, in Juda, quem ad restim tristi-  
tia redegit, in Saule quem Spi-  
ritus malus, hoc est melanco-  
lia invasit, hæc enim Spiritum  
Sanctum (sicut columbam sordes  
& apiculam fumus) fugat ac dis-

pellit. *Quos demon superat, per mœ-  
rorem superat.* Didicit Chrysofomus  
veritatem hanc à Pauli Apostoli  
discipulo Herma, magni inter ve-  
teres nominis in primitiva Ecclesia,  
qui lib. 2. mandato 10, tom. 5. biblio-  
theca, PP. ita loquitur ex persona  
Dei: *tristitia omnium spirituum ne-  
quissimus est & pessima ser-vis Dei:*  
(ideo Magnus Antonius lætitiã  
spiritualem vocabat unicã ratio-  
nem vincendi inimicos, quæ dæ-  
monum conatus quasi fumum ex-  
pellit & persequitur adversarios  
potius quàm timeat) *Et omnium spi-  
ritus exterminat, & cruciat spiritum  
Sanctum.* & paulò post: *vir tristis  
malè facit quia tristem facit Spiritum  
Sanctum, qui datus est homini hilari.  
Malè facit, quòd tristis orat Domi-  
num, & non antè facit exomologesin,  
& non impetrat à Deo quod petit. sem-  
per enim oratio tristis hominis non  
habet virtutem, ut ascendat ad alta-  
re Domini.* ex qua causa Aaron se  
excusavit, quòd sacrificium & pre-  
ces non obtulerit: *quomodo potui  
placere Deo in cerimonijs mente lu-  
gubri?* Lev. 10. v. 19. ideo captivi  
Israëlitæ in falicibus suspenderunt  
organa sua ps. 136. v. 2. cur in falici-  
bus? quia arbores sunt infructuo-  
sæ, & eos adumbrant, qui sinè bo-  
norum operum fructu non nisi um-  
bram faciunt, & ignem alunt.

Non est ergò mirum toties à  
Siracide per omnes monendi, mi-  
nandi, rogandique modos inculca-  
ri, ut tristitiã corde repellamus:  
*miserere animæ tuæ placens Deo &  
contine: congrega cor tuum in sancti-  
tate ejus & tristitiã longè repelle à te*  
Eccl. 30. v. 24. quæ singula Jansenius  
apud Cornelium contra tristitiã ex-  
plicat, & est sensus verborum: si vis  
misereri animæ tuæ, si vis placere  
Deo, si vis continēs esse, si sanctitatē  
indipisci, fuge tristitiã. vis miseri-  
cors esse? à te incipe, & cave tristi-  
tiam



tiam, quæ infert violentiam, ita explicat Siraciden Divus Augustinus in Enchirid. c. 76. & repetitur in jure Canon. de poenit. distinct. 3. cap. vult. qui vult eleemosynam ordinate dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primum dare. est enim eleemosyna opus misericordiae, verissimèque dictum est: miserere animæ tuæ placens Deo. propter hoc renascimur, ut Deo placeamus. ò melancholic! ò crudel! ò frustra renati! in quibus omnis sudor, & labor, & dolor, & amor Christi perit. si horretis aliorum fieri carnifices, cur non horretis per tristitiã vestri carnifices esse? multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in ea Eccl. 30. v. 35. enecantur nonnulli, & quidem repente, per immodicum gaudium, quo totum calidum affatim & sine ullo freno effunditur; occiduntur timore alij, eò quòd sanguis ad cor subito & copiosè accurrens illud suffocet; at tristitia longam facit mortem vivere & de morte in mortem transire. non est utilitas in ea: tristitia vermis est cordis, suammet exedens matrem instar viperæ inquit B. Antiochus homil. 25. non est utilitas in ea: homo tristis semper malitiatur & contristat spiritum Sanctum, sibi à Deo donatum ait S. Athanasius citatus à S. Bernardo de modo bene vivendi, c. II. non est utilitas in ea: tristitia, animarum crudele tormentum est, dolor quidã inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictãque deterrit. nam & vermi est similis venenata, non solummodo carnẽ, sed & animam ipsã perimens ac dilacerans, febris non apparens omni igni validius incendens, jugis nox ac tenebræ profundæ, & tempestas & turbo & pugna requiem non habens. ita Chrysostomus ep. 8. ad Olymp. non est utilitas in ea. sicut tineam vestimento & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi prov. 25. v. 20. lignum vermibus exesum, non

jam ad ornatum vel mediocrem, sed ad combustionem ignis merebitur deputari, ita anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus devoratur, inutilis erit vestimento illi pontificali, quod unguentum Spiritus Sancti solet suscipere. Hæc ex Cassian. l. 9. de institut.

Proverbium hebræorum est: prophetia non requiescit super tristem ideo Elizæus vaticinari noluit, nisi prius citharædum audiret, à quo ad lætitiã excitaretur. 4. Reg. 3. v. 15. Ad citharam ò melancholici, ad citharam citò adeste, cui psaltes inscripsit: quare tristis incedo dum affigit me inimicus? constebor tibi in cithara Deus Deus meus! quare tristis es anima mea & quare conturbas me? & quænam hæc cithara est? cithara Iesu ex anagrammatismo: Eucharistia, hanc Iesus ipse in cœna ultima contra fatales mœrores adhibuit, & hymno cantato lætissimus morti obviam processit. hanc redivivus Salvator Emauntinis discipulis persanandis adhibuit, quibus prius dixerat: Estis tristes, panem postea fregit, Eucharistiã imperavit, melancholiam fugavit: in fractione panis cognoverunt eum. Cithara Iesu oratio est: tristatur aliquis vestrum? oret; Jacobi 5. v. 3. oratio cithara Dei appellatur Apoc. 15. v. 2. & orationes citharis conjunguntur Apoc. 5. vers. 8. Denique, cithara DEI appellatur Apoc. 15. v. 2. & orationes citharis conjunguntur Ap. 5. v. 8. Denique cithara Iesu ejusdem dulcissimi nominis est memoria, dans vera cordis gaudia. fugavit citharã suã David melancholicũ à Saule dæmoniũ, fugabit Iesus nomine suo (de quo polliceri dignatus est: in nomine meo dæmonia ejicient) univèrsas dæmonum legiones, faciẽtque tripudiare nos cum Habacuc & cantare: in domino gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo. PHI-

S. 6.  
Remedi-  
um melanc-  
holiæ.  
Cithara.